



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio VI. De Infallibilitate, immutabilitate, & concordia Prædestinationis
diuinæ cum libero arbitrio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

autem ad hoc singulariter & in indiuiduo præceteris electis, etiam efficaci & absoluto decreto.

Quartò voluit totam reliquam rerum vniuersitatem producere, itaque conformare, vt & Angelis & hominibus, iuxta suam vniuscuiusque conditionem ac modum, ad suum finem cooperarentur ac ministrarent: simul etiam tum vtrisque sufficientia salutis media decreuit, tum speciatim electis tam hominibus quam Angelis prædefiniuit ea media, quæ nullum necessarium respectum includunt ad peccatum; cum ordine tamen quodam, vt propiora fini prius decerneret, quam remotiora.

Quintò voluit permittere peccatum, tam in angelis, quam hominibus.

Sextò prædefiniuit ea media electis, quæ necessario supponunt peccatum, tum generalia, tum particularia; vt passionem & mortem Christi, penitentiam Confessorum, mortem ac certamina martyrum, de qua re omni in 3. parte fufius disserendum est; neque opus est hæc sigillatim amplius confirmare, cum fere ex dictis sint manifesta.

16 Concludo hanc dubitationem cum Durando in 1. dist. 41. num. 6. qui eiusmodi ordinem, maxime consentaneum esse naturis rerum, & humano modo procedendi, hæc ratione perspicue declarat: Sciendus est, inquit, quod inter electionem & ceteros actus intellectus & voluntatis, in Deo non est ordo prioris & posterioris secundum rem, sed tantum secundum rationem. Nam ubique est ordo prioris & posterioris secundum rem, ubi est realis distinctio; sed inter attributa diuina, de quorum numero sunt electio & prædestinatio, & omnes operationes intellectus ac voluntatis, non est realis distinctio: ergo non est ibi realis ordo, sed solus secundum rationem. Et nunc debemus considerare ex reali ordine, quem habent actus tales in nobis, in quibus differunt secundum rem. Vt enim prius dictum fuit, qualem ordinem realem habent aliqua, ubi sunt distincta realiter, talem ordinem rationis habent, ubi sunt distincta secundum rationem.

17 Est ergo notandum, quod in nobis omnem actum voluntatis præcedit aliquis actus intellectus. & c. actus autem vo-

luntatis de fine, præcedit actum intellectus practici, quo consiliatur de his, quæ sunt ad finem. Hunc autem actum intellectus practici sequitur electio, quæ est appetitus præcõsiliati. Contingit autem, quod illud cuius est electio, sit finis quorundam aliorum, & ex illo rursus ratiocinatur intellectus practicus de his, quæ sunt ad illi finem, qui est finis sub fine, & tunc electio primi præcedit secundum actum intellectus practici: sed iste secundus actus præcedit secundam electionem. Ergo talis ordo est in nobis secundum rem.

In Deo autem est similis ordo secundum rationem. Quantum n. spectat ad propositum nostrum, Deus primò scit suam beatitudinem, & possibile nobis communicari: hanc notitiã sequitur voluntas communicandi eã aliquibus: ex hac voluntate, quæ est finis, ratiocinatur intellectus practicus, quibus communicabitur, & quibus non; & hic actus vocatur consilium diuinum & c. Hoc autem consilium sequitur electio (nimirum ad gloriam) & c. Adhuc illud cuius est hæc electio, habet rationem finis respectu eorum, per quæ electus ad talem finem deducetur: & ideo ex hoc rursus consiliatur intellectus practicus, quæ sunt conferenda electis, vt consequantur finem, ad quem eliguntur; conclusio autem huius consilii dicitur prædestinatio. & c. Hoc autem consilium sequitur vltimo electio vel propositum conferendi talia auxilia; & hic terminatur processus interioris intentionis. & c.

18 Et rursus nu. 9. ita concludit Durandus: Iste ergo videtur esse processus secundum rationem in Deo; quia primò vult beatitudinem communicare; secundo consiliatur, quibus communicabit eã, & per conclusionem consilii approbat quibus communicabit. Tertio illos eligit. Quarto consiliatur, quæ auxilia conferenda sunt electis, ad consecutionem finis, & conclusio huius consilii est prædestinatio. Quintò & vltimo sequitur propositum conferendi talia auxilia. Hactenus Durandus, ubi tamen quod simul indicat, reprobationem in eodẽ instanti factam esse, quæ electio ad gloriam, quæstione sequenti refelletur. Sicut & de eo, quod electionem à prædestinatione ex parte termini distinguit, actum est superius q. 2. dub. 1. & q. 3. dub. 1. & vniuersim quomodo prædestinatio se habeat ad dilectionem, electionem, præscientiam, prouidentiam, explicauimus supra q. 2. dub. 3.

QVÆSTIO VI.

De Infallibilitate, immutabilitate, & concordia Prædestinationis diuinæ cum libero arbitrio.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 6. & 7.

Absoluitur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. An & quomodo prædestinatio sit certa & immutabilis, certusque numerus prædestinatorum. II. Quantus & quam conueniens sit prædestinatorum numerus. III. Vtrum prædestinatio sit in nostra potestate, aut saltem cum libertate arbitrii nostri consentiens. IV. An & quæ ratione de nostra prædestinatione certi esse possimus: & quænam sint diuinæ prædestinationis signa.

DVBIVM I.

An & quomodo Prædestinatio sit certa & immutabilis; certusque numerus Prædestinatorum.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 6. & 7.

Quid de hac re sentiendum sit, cū S. Thoma loc. cit. sequentibus assertionibus declaramus.

|| Assertio I. Prædestinatio diuina est certissima, & prorsus infallibilis. Ita S. Thomas quæst. 23. art. 6.

& in 1.

& in 1. dist. 40. q. 3. art. vn. & quodl. 5. q. 1. art. 2. & quodl. 11. a. 3. & quodl. 12. a. 3. & de veritate q. 6. a. 3. & 5. & in epist. Heb. 12. lect. 4. cum Magistro in 1. dist. 40. quos sequuntur alii Theologi omnes. Et patet ex recepta definitione prædestinationis ex Augustino lib. de bono perseuer. cap. 14. *Prædestinatio est præscientia & preparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur, quicumque liberantur.* Ratio est. Quia prædestinatio est pars prouidentie, qua Deus absolute & efficaciter aliquid fieri decernit: at verò & ipsa etiam prouidentia eatenus certa est & infallibilis, quatenus certo & infallibiliter eueniunt, quæ Deus vt absolute eueniant per prouidentiam efficaciter ordinauit, vt dictum q. 1. dub. 4. Ergo & prædestinatio. &c. Confirmatur. Quia prædestinatio continet, aut supponit voluntatem Dei consequentem & efficacem, vt dictum q. 2. dub. 1. voluntas autem efficax Dei semper impletur, vt dictum disp. 2. q. 10. dub. 4.

2 Assertio II. Diuina prædestinatio est immutabilis. Ita S. Thomas loc. cit. & consentiunt alii Theologi cum Magistro in 1. dist. 40. Probatur tum ex dictis: si enim certa & infallibilis est, ita vt infallibiliter eueniant ea, quæ Deus prædestinauit; ergo mutari non potest: si enim mutaretur, tum non euenirent ea, quæ per ipsam antea prædestinata erant; sed eueniret oppositum. Tum quia prædestinatio vel ad scientiam diuinam pertinet, vel ad voluntatem, aut certè vtramque complectitur, ex dictis q. 2. dub. 2. quicquid autem horum dicatur, necessario sequitur, prædestinationem esse immutabilem: quandoquidem & scientia, & voluntas Dei, Deusq; ipse penitus immutabilis est, vt dictum disp. 2. q. 5. dub. 1. & q. 8. dub. 10. & q. 10. dub. 4.

3 Ex quibus sequitur, propositionem hanc, quæ etiam Augustinus infra, & alii SS. Patres vtuntur, *prædestinationem damnari, aut reprobam saluari, est impossibile, planè veram & admittendam esse; idq; non solum adhibita distinctione seu limitatione, in sensu composito; sed etiam absolute; quia ex se & ex ipsis terminis sensum compositum habet, vt ex Dialecticis regulis probat Eckius cent. 4. num. 34. De qua re plura dub. 3. assert. 3. Vnde Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 35. ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordie gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo; neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum caelorum; nec quenquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, vlla posse ratione saluari.**

4 Sequitur secundo, non rectè absolute dici, *Deum posse prædestinare, quem non prædestinavit; aut posse non prædestinare, quem prædestinavit;* vt rectè S. Thomas hic q. 23. a. 6. ad 3. & recentiores communiter, licet veteres quidam Scholastici aliter fuerint locuti. Ratio est. Quia tales propositiones faciunt sensum compositum, sicut ista; possibile est, vt sit prædestinatus ille, qui non est prædestinatus; quæ proinde propositiones absolute falsæ sunt; licet rectè dici possit, Deum posse hunc, V. G. Petrum, prædestinare, vel non prædestinare; est enim hic sensus diuinus iuxta S. Thomam ibidem. Plura dub. 3. assert. 3.

5 Assertio III. Certus est etiam Deo numerus prædestinatorum, non tantum formaliter, sed etiam

materialiter: ita nimirum, vt certum sit Deo, non solum quos sint prædestinati, sed etiam qui sint. Ita S. Thomas hic q. 23. a. 7. & communiter Theologi omnes, contra obsoletam quandam & in fide erroneam sententiam eorum, qui vt concordiam inter prædestinationem & liberum arbitrium tuerentur, dixerunt, numerum prædestinatorum esse certum, formaliter, non materialiter. Pro qua sententia Eckius cent. 3. nu. 82. ex Cortesio refert Aureolum; qui sanè quidem hac de re periculosè loquitur in 1. dist. 40. q. 1. a. 4. inquit, 4. vbi cum retulisset doctrinam S. Thomæ hic a. 6. & 7. prædestinatorum numerum esse certum & infallibilem, atque immutabilem, subiungit: [Hic modus dicendi desperationem hominibus inducit. &c. quia manifestum est, inquit, quod prædestinatio aut reprobatio, prout in Deo sunt, nostro conatu impediri non possunt; ergo si stantibus illis impossibile est, quin saluetur iste, & damnetur ille, frustra qui damnandus est ad oppositum conatur: vnde datur homini materia desperandi & negligendi seipsum, & tollitur omnis exhortatio salutaris, & persuasio, & Sacramentorum perceptio: quod totum est vanum. Et infra ait: Inconculsè tenendum est, quod prædestinatio nullam immutabilitatem inducit circa salutem saluandorum; nec reprobatio circa pœnam hominum damnandorum.] Denique in responsione ad obiecta ait, [has propositiones, Deus prædestinavit, vt Petrus saluetur, & reprobando præsciuit, quod Iudas damnabitur, non esse concedendas, quin imò improprias esse, & falsas in sua proprietate: quamuis illud, inquit, quod Deo attribui volumus verum sit, scilicet quod determinatio illa est æternaliter apud Deum, quam habet res ex sua actuali positione, de qua patet quod non potest propter eam inferri aliquid vt futurum, nec vnquam potuit: & qui hanc regulam tenet omnem difficultatem euadit.] Ita Aureolus.

6 Alius fuit sensus Catharini lib. 1. de prædest. cap. vlt. (quem etiam aliquamdiu secutus est Sixtus Senensis, vt refert ipse met. lib. 6. Biblioth. annot. 248.) vbi distinguens inter prædestinatos & saluandos quod dicit. Primum, non omnes qui saluantur esse prædestinatos. Alterum, numerum quidem prædestinatorum esse certum, non autem saluandorum; sed hunc augeri & minui posse. Quem idcirco quasi re ipsa quoque lapsum grauissimè reprehendunt, cum Soto, Bannes hic q. 23. a. 7. alique Thomistæ ibidem; quos sequitur Gregorius de Valentia hic q. 23. punct. 3.

Sed vt rectè notarunt Suarez lib. 1. de prædest. cap. 8. num. 31. & Vasquez disp. 101. cap. 1. Catharinus non tam in re, quam in verbis errauit. Is enim prædestinationem vocat id solum decretum diuinum, quod non solum tempore, sed etiam ratione & natura antecedit omnem præuisionem meritum ac mediatorum: & quia putauit, plerosque saluandos non ita ad gloriam electos, vt dictum quæst. præced. dub. 2. consequenter docuit, non omnes saluandos esse prædestinatos. Deinde cum incertum numerum saluandorum esse dixit, non absolute hoc intellexit, sed limitate & iuxta materiam subiectam; videlicet non esse certum ex ipsa prædestinatione, seu ex diuina voluntate antecedente præuisionem me-

ritorum:

ritorum: cum tamen interim ex ipsa præscientia futurorum certum esse nunquam negarit. Eodem modo cum numerum salvandorum augeri possit, docuit, locutus est non de numero, prout est in præscientia Dei, præuisa cooperatione cuiusque, sed absolute & ex se, ante hanc præscientiam, ex sola præfinitione gratiæ operantis & cooperantis, & seclusa simul scientia conditionata; quam ipse non admittit.

7 Atque eandem sententiam, eo modo explicatam, rectè Vasquez loc. cit. existimavit fuisse etiam Massiliensium: de quibus Hilarius epist. ad August. ante librum eiusd. de prædestinatione ait: *Inde est, quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum reiciendorumque esse definitum numerum velit.* Sed quamuis ad modum explicatum posterior hæc sententia re ipsa non sit erronea, nihilominus modus ipse loquendi tam Aureoli, quam Catharini, & Massiliensium, vti malè sonans, & in rigore verborum erroneus, prorsus vitandus est.

8 Probatur assertio ex Scriptura Ioan. 13. v. 18. *Scio quos elegerim.* Quo spectat etiam illud Ioan. 8. v. 28. *Ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi manus omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Et S. Paulus Roman. 8. vers. 38. in persona prædestinatorum, & ex accepta prædestinationis noticia loquens ait: *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli. &c. poterunt nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESU.* Licet hoc etiam iuxta animi bene confidentis, & in DEO radicati dispositionem accipi possit, vt alii interpretantur. Et rursum 2. Timoth. 2. *Firmum fundamentum DEI stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus, qui sunt eius.* Vide Augustinum lib. de corrept. & grat. cap. 7.

9 Ratio sumitur ex dictis. Si enim prædestinatio diuina certa est & infallibilis, tunc etiam fatendum est, certum apud Deum esse numerum prædestinatorum, tam formaliter, quam materialiter: quia prædestinatio re ipsa & adæquate saltem spectata non versatur circa res & personas prædestinatas in confuso, & quasi in abstracto; sed in particulari & determinate circa singulos singillatim; vt constat tum ex dictis de providentia in genere, quæst. 1. dub. 2. & 3. tum supra quæst. 2. dub. 1. Cum ergo Deus prædestinatione sua definiuerit, certum numerum prædestinatorum non solum formaliter, sed etiam materialiter, planè fatendum est, certum ei numerum esse prædestinatorum, non solum formaliter, sed etiam materialiter. Accedit, quod à parte rei certus olim futurus est numerus salvandorum, tam in particulari & materialiter, quam in communi & formaliter: Deus autem omnia futura infallibiliter nouit, vt constat ex dictis disp. 2. quæst. 8. dub. 5. Ergo certus est Deo prædestinatorum numerus etiam materialiter, saltem in præscientia.

10 Neque contrariæ sententiæ argumenta vllius sunt momenti. Aureolus enim falsà supponit fundamenta, quæ iam superius suo loco refutauimus; nimirum quod diuina præscientia non aspiciat rem vt futuram; item quod *nulla volitio intrinseca Deo tram-*

fit, ait, super salutem Petri magis, quam super eius oppositum: sed voluntas operationis diuinæ, scilicet iustificatio per gratiam, & beatificatio per gloriam, quam Deus operatur, vt præuisa ab æterno transeat super illud propositum, quod habet Deus de salute Petri. Falsum denique est, quod ibidem ait Aureolus, *talem operationem (scilicet iustificationem per gratiam, & beatificationem per gloriam) vt præuisam, in nullo aspicere salutem Petri vt futuram; & per consequens non posse inferri ex ea, quod salus Petri futura sit, aut eueniat.* Si enim Deus præuidit iustificationem aut beatificationem Petri, infallibiliter sequitur, Petrum saluum futurum esse. Neque sanè de hac re oppositum villo modo affirmari potest; nisi quis ineptè circa terminos triceretur. De re ipsa verò & fundamentis, quibus explicata Catharini sententia nititur, actum est supra dub. 3. & 4.

11 Assertio IV. Numerus electorum seu prædestinatorum certus est Deo, non solum ratione cognitionis, seu ex præscientia, sed etiam ratione electionis & definitionis, ac per modum principalis præfinitionis: secus est de numero reprobatorum; qui non ita principaliter ordinantur ad bonum vniuersi, sed secundariè. Ita contra Massilienses præced. assert. citatos quasi ad verbum S. Thomæ art. 7. ex communi Thomistarum, eorumque omnium auctorum, qui prædestinationem ad gloriam ante præscientiam mediolorum statuunt: licet interim ea doctrina valde torqueat eos auctores, qui cum sentiant, Deum non elegisse ad gloriam quenquam ante præuisionem meritum, nollent suæ sententiæ aduersarium habere S. Thomæ, vt videre est apud Vasquez cit. disp. 101, cap. 1. qui etiam disp. 89. cap. 10. num. 89. aduersus hanc doctrinam S. Thomæ ait, *numerum prædestinatorum solum certum esse in præscientia.* Sed & Aureolus in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 2. ex instituto contra S. Thomæ docet, limitationem electorum non esse absolute ex diuina voluntate, sed ex præscientia non positionis impedimenti vel obicis; vt & limitationem numeri reprobatorum, ex præscientia positionis obicis, & impedimenti respectu gratiæ finalis.

12 Sed res & sententia S. Thomæ clara est, suppositis iis, quæ quæst. præceden. dub. 4. dicta sunt: Cum enim Deus prædestinauerit salvandos ad gloriam, prædefinitio quodam, eodemque absoluto & efficaci decreto, ante omnem præuisionem absolutam meritum & mediolorum, hinc nimirum verisimè dicitur, ex huius ipsius vi, & non solum ex vi præscientiæ meritum, seu mediolorum, quæ præscientia præfinitionem illam sequitur, certum esse, certoque cognosci à Deo, quot & quinam salutem consequantur: quando Deus in ipsa etiam præfinitione ea futura nouit, quæ ipse absolute & simpliciter apud se præfinit & decernit, quemadmodum generatim de diuina scientia futurorum contingentium docuimus supra disput. 2. quæst. octau. dub. 7.

13 Idem probatur insuper etiam à S. Thomæ hic cit. a. 7. hac optima ratione. Quia vnumquodq; agens, cum semper quidem finitum effectum intendat, simul etiam excogitat & præfinit aliquem numerum & mensuram certam & determinatam in partibus essentialibus, seu quæ per se requiruntur ad perfectionem

fectionem totius operis; cætera verò per se determinatè ac certo numero præfinit; sed solum indeterminate & in confuso, quot & in quantum sunt. necessaria propter aliquid per se intentum: vt patet in Architecto, qui in ædificio numerum quidem & quantitatem ipsarum contignationum, seu mansionum, absolute prædefinit; numerum verò lapidum non item; sed indefinite tot adhibendos decernit, quot sunt necessarij ad ipsam formam & quantitatem ædificij, mansionumque consummandam. Ita igitur etiam ratiocinandum est de Deo, respectu totius vniuersi, quod facere ipse decreuit. Præordinauit enim, in qua mensura deberet esse totum vniuersum, & quis numerus esset conueniens essentialibus partibus vniuersi; quæ scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem; quot scilicet sphaeræ, quot stellæ, quot elementa, quot species rerum, &c. Et cum inter cætera etiam prædestinati per se, & quidem potissimum spectent ad bonum totius vniuersi, adeoque ipsius operis, quod Deus facere decreuit; reprobj verò, resque etiam cætera corruptibiles ordinentur à Deo in bonum electorum, vt pote quibus omnia cooperantur in bonum; omninò fatendum est, Deo non tantum simplici præscientia, sed etiam vi cuiusdam principalis præfinitionis certum esse numerum electorum. Secus sentiendum est de reprobis, quorum numerum etiam præciterit Deus, non tamen ita prædefiniuit, vt inferius dicitur. Sicut et si Deus sciat numerum omnium indiuiduorum, non tamen ideo numerus bonum vel culicum est per se à Deo præfinitus; sed tot huiusmodi diuina prouidentia producere decreuit, quod sufficerent ad specierum conseruationem. Hæc optime S. Thomas, à quo nihil re ipsa alienum videtur dixisse Cortesius, quamuis aliter intellectus ab Eckio loc. cit. Huc spectat etiam illud Roman. 9. v. 11. *Et secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est*: ex quo loco colligitur, prædestinationem esse firmam & fixam, ex ipsa electione ac voluntate Dei.

14 Idem tradit S. Thomas I. sent. ad Annibald. dist. 40. q. vn. art. 3. ad 2. vbi ait, quod *prædestinatio respectu gratiæ & gloriæ habet certitudinem præscientiæ, & causæ*. Et q. 6. de verit. a. 3. ait: quod *præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem*.

Idem sensisse Augustinum, patet ex dictis superioribus dub. 3. & 5. id quod præter Prosperum & Hilarium in suis epistolis ad Augustinum, satis intellexerunt etiam ipsi Massilienses; qui propterea contra Augustinum prædestinationem in sola præscientia certam esse docuerunt, vt diximus: & specialis locus est ille Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 7. vbi ait: *Horum (prædestinatorum) si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit; quia nulla re vincitur Deus. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit; quia non fallitur Deus*. Vbi priora verba ad certitudinem præfinitionis & causalitatis pertinent; posteriora ad certitudinem diuinæ præscientiæ. Fundamentum autem oppositum Aureoli, aliorumque satis supra quæst. 4. dub. 4. & quæst. 5. dub. 4. refutauimus.

15 Quæres, an hæc assertio intelligenda sit de præscientia absoluta solum, an etiam conditionata. Respondetur, potissimum ac directè quidem intelligi de præscientia absoluta, ad quam, vt vidimus, Massilienses, alique superius reulerunt certitudinem prædestinationis: nihilominus tamen etiam extendi posse ad scientiam conditionatam. Hæc enim quamuis sit conditio quædam necessariò præsupposita in Deo, ad decretum prædestinationis; non tamen inde sequitur, prædestinationem habere suam certitudinem proprie, formaliter, & immediate ab huiusmodi præscientia; sed ex absoluto & efficaci decreto Dei; qui supposita illa scientia, conditionata facere potest, quod vult, & immutabiliter facit, quod efficaciter & absolute decernit. Sicut etiã si scientia Dei necessaria siue naturalis præsupponatur in Deo ad prædestinationem, non tamen inde sequitur, certitudinem & infallibilitatem prædestinationis proprie & formaliter ad scientiam illam Dei referendam esse.

16 Cæterum contra certitudinem prædestinationis obiicitur primò, illud Apocal. 3. v. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Vnde & Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 13. ait, alium non esse accepturum, nisi iste perdidit. Potest ergo & acquiri & perdi coronam, quæ est prædestinationis effectus; ac proinde prædestinatio non est certa.

Respondetur cum S. Thoma hic q. 23. a. 6. ad 1. Coronam alicuius dici posse dupliciter: vno modo ex prædestinatione diuina; & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ, siue secundum præsentem iustitiam: quod enim meremur quodammodo nostrum est; & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale, sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco eius (non quidem secundum ipsum diuinæ prædestinationis decretum, sed quo ad eius executionem; vt dictum supra quæst. præced. dub. 5.) subrogatur, *Non enim*, inquit S. Thomas, *permitit Deus aliquos cadere, quin alios erigat; secundum illud Job 34. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*. Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines; & in locum Iudæorum gentiles. Substitutus autem in statum gratiæ, etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit, quod de bonis quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua vnusquisq; gaudebit de bonis tam à se, quam ab alijs factis. Quæ omnia non de ipsa prædestinatione, seu prima electione diuina, sed de executione eiusdem, seu quod idem est, decreto executiuo intelligenda esse, loc. cit. pluribus exposuimus.

17 Obiicitur secundò. Posito possibili, nullum sequitur impossibile: possibile est autem aliquem prædestinatum, V. G. Petrum, peccare, & tunc occidi: hoc autem posito, sequitur prædestinationis effectum frustrari: hoc igitur non est impossibile; ac proinde prædestinatio non est certa. Respondetur cum S. Thoma hic quæst. 23. artic. 6. ad 2. possibile quidem esse, prædestinatum mori in peccato mortali, in sensu diuiso; si nimirum de ipso prædestinato secundum se loquamur; sed non in sensu composito; ita scilicet vt coniungatur ea mors cum ipsa prædestinatione facta. Vnde

quia

quia si ponatur prædestinatum mori, aut mortuum esse in peccato mortali, necessario fit sensus compositus, ea hypothesis non est possibilis. Illud autem axioma, posito possibili, nullum sequitur impossibile; intelligendum est, si possibile ponatur eo sensu, quo possibile est; seu quod idem est, possibile poni potest re ipsa esse; nisi eo ipso quod ponitur esse, mutetur suppositio, in qua sola dicitur possibile, vt suo loco etiam de diuina scientia & voluntate diximus.

18 Obijcitur tertio. Quicquid Deus potuit potest; sed potuit non prædestinare, quem prædestinauit: Ergo nunc potest non prædestinare; ac proinde prædestinatio non est certa.

Respondetur cum S. Thoma ibidem ad 3. Deum posse quicquid potuit potentia intrinseca, & in sensu diuiso, non composito; ita vt cum præexistente decreto diuinæ voluntatis re ipsa componatur & coniungatur oppositum decretum. Sicut enim Deum velle aliquid creatum est necessarium, non quidem absolute, sed ex suppositione, propter immutabilitatem diuinæ voluntatis, ita etiam impossibile est, vt cum ea suppositione re ipsa coniungatur oppositum decretum. Vnde [non oportet dicere,] inquit Sanctus Thomas, [quod Deus possit non prædestinare, quem prædestinauit, in sensu composito accipiendo, licet absolute considerando, Deus possit prædestinare, vel non prædestinare; sed ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo.] Vide quæ hac de re vniuersim diximus supra disputatione secunda quæst. 8. dub. 10. & q. 10. dub. 4. & hic assert. 2.

DVBIVM II.

Quantus; & quam conueniens sit prædestinatorum hominum numerus.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 7.

1 **N**umerus prædestinatorum hominum dupliciter assignari potest; primo absolute, vt V. G. dicamus esse mille myriades prædestinatorum; secundo respectiue seu comparate, idque vel per comparisonem ad Angelos, seu lapsos, seu beatos; vel per comparisonem ad homines reprobos, siue extra statum legis Euangelicæ, siue sub statu legis Euangelicæ viuentes. Priori modo non instituitur quæstio: quia nemo mortalium, saltem vi discursus alicuius ex communibus principijs reuelatis, eo progressus est, vt definitum, eiusmodi prædestinatorum numerum assignare auderet. Quo sensu etiam verissime dicitur ab Ecclesia illud, *DEVS cui soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus, &c.*

2 Posteriori autem sensu, varia reperitur hæc de re Doctorum & Sanctorum sententia; Et primo quidem comparatione cum Angelis facta, Sanctus Thomas hic quæst. 23. artic. 7. tres recitat sententias. Prima est; tot homines saluandos, quot Angeli ceciderunt: quod sentire videntur

illi, qui homines solum post Angelorum peccatum præuisum, & ad eorum ruinam restaurandam prædestinatos existimant. Secunda, tot saluandos, quot Angeli remanserunt; seu quot sunt Angeli beati: quod sentit Anselmus in Elucidario, eandemque Sancto Gregorio tribuit Caictanus eod. art. 7. Tertia, tot saluandos, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Cui nonnihil fauet Augustinus in Enchirid. cap. 29. vbi probabile censet, maiorem numerum futurum esse beatorum hominum, quam sit Angelorum. Quæ tamen omnia, Sanctus Thomas loco citato, pro incerto habet; quando suam hæc de re sententiam his verbis adiungit: *Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum, in superna felicitate locandus.*

3 Institueno vero comparisonem solum cum hominibus reprobis controuersia est, vtum saltem inter homines fideles, ac sub statu Euangelij viuentes, plures sint prædestinati, quam reprobi. Ita enim affirmant nonnulli: è quibus Damascenus in quodam Sermonem de defunctis sentit, omnes ferè fideles saluari. Item Siluester in Rosa aurea tract. 2. super Euang. Dominica in Septuagesima, ait, [probabiliter posse defendi, quod maior pars Christianorum habentium fidem rectam, & viuentium sub obedientia S. Romanæ Ecclesiæ saluetur.] Idem docent Franciscus à Christo in 1. sent. d. 41. quæst. vn. concl. 3. Suarez lib. 6. de prædest. cap. 3. num. 6. & alij quidam Theologi. Alij sententiam contrariam defendunt, vt dicemus. Vasquez autem hic disp. 101. de hæc re ita censet: [Ego potius, inquit, hæc omnia iudicio Dei relinquenda esse censeo, quam quicquam temerè definiendum: sicut & illud, Vtrum sit maior numerus hominum prædestinatorum, quam Angelorum, annon: vel eo præsertim, quod huiusmodi controuersie non multum ad edificationem fidelium pertineant.] Nostra vero sententia sequentibus assertionibus declaratur.

4 **A**ssertio I. Est quidem omnino definitus prædestinatorum numerus, qui ex suppositione diuini decreti, augeri aut minui nullo modo potest. Ita cum S. Thoma hic quæst. 23. articulo septimo, habet communis & certa Doctorum sententia; & est expressa sententia Sancti Augustini lib. de corrept. & grat. capite decimo tertio, neque est hæc de re vlla controuersia: & patet ex dictis dub. præced. assertionem tertiam. Cum enim prædestinatorum numerus sit Deo vnde quaque certus, necesse est, ita esse definitum, vt ex hypothesi factæ prædestinationis, augeri aut minui nullo modo possit: cum quo non pugnat, quod minus absolute & in sensu diuiso etiam illi, qui extra eum numerum continentur, saluari possint, vt in simili dictum dub. præced.

5 **O**bjicitur illud Deuteron. 1. versu vndecimo. *Dominus Deus Patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia.* Ad hoc bene respondet Sanctus Thomas cit. quæst. 23. artic. 7. ad 1. hunc locum intelligendum de illis, qui sunt prænotati seu electi à Deo respectu præsentis iustitiæ. Horum enim numerus & augetur, & minuitur; & non numerus prædestinatorum.

Assertio II. Numerus hominum prædestinatorum optima ratione à Deo definitus est, ex proportionem, quam habent beati ad totum Vniuersum. Ita S. Thomas ibidem ad 2. ex communi Doctorum. Probat & declaratur. Quia ratio quantitatis alicuius partis accipienda est ex proportionem illius partis ad totum; sicut ratio numeri colorum ac stellarum, vel etiam specierum, desumitur ex proportionem eiusmodi partium, quam habent ad bonum totius Vniuersi. Ergo pariter etiam sciendum est, rationem numeri prædestinatorum à Deo esse desumptam ex proportionem, quam hic numerus prædestinatorum habet, ad bonum seu decorem totius Vniuersi.

6 Quod hoc etiam modo inter alia declarari potest. Quia secundum usum & necessitatem vitæ humanæ, tantum, & non minus, conueniebat esse cœli siderei, terræque ac elementorum spatium; ut multis rationibus physicis & mathematicis deduci posset: rursum secundum proportionem ad reliquum totum Vniuersum, tantum & non minus conueniebat esse cœlum Empyreum; denique secundum magnitudinem cœli Empyreici, tantum & non minorem conueniebat esse numerum incolarum. Neque tamen hac ratione excluduntur aliæ rationes eius numeri: verbi gratia, quod ad demonstrandam DEI bonitatem & magnificentiam; item ad renumerandum infinitum valorem meritorum CHRISTI, tantum & non minorem conueniebat esse numerum electorum, &c. Sicut ratio quantitatis alicuius ædificij sumitur tum ex magnificentia & opulentiâ Domini, cuius est ædificium; tum ex fine & usu; tum ex proportionem, quam habet cum fundo, aut reliquo contentimino ædificio, &c. Interim tamen rationem particularem eius proportionem ac numeri distinctè tum demum agnoscemus, quando & DEI ipsum, & numerum ipsum Beatorum, cum reliquo Vniuerso clarè ac particulatim videbimus.

7 Atque hæc, aut similes aliquæ rationes ab omnibus admitti debent, etiam ipsi, qui prædestinationem factam esse existimant, post præuisionem mediocrum, & absque delectu & discretionem gratiæ congruæ pro electis: cum in omni vitæ sententiâ conuenienter à Deo definitus sit prædestinatorum numerus.

Quamquam neque his, neque alijs rationibus probari posse existimo, numerum eorum, qui conuenienter à Deo prædestinati possent, planè in indiuisibili consistere; ita ut supposito hoc Vniuerso, aut etiam qualibet Dei perfectione, numerus ille non potuerit conuenienter esse, nec maior ullo modo, nec minor: cum etiam in cæteris rebus numerus conueniens earum, secundum rationem indiuiduam, non videatur consistere in indiuisibili; ita ut si Deus voluisset, non potuissent conuenienter esse vel plures, aut pauciores stellæ, aut species rerum, &c. Neque etiam numerus mansionum ex proportionem earundem ad totum ædificium, ita definitus esse solet, ut absolute nec maior, nec minor esse potuerit. Sufficit ergo probari inde conue-

nientiam numeri prædestinatorum, intra certam latitudinem; indiuisibili interim eius determinationem ex diuino arbitratu pendente.

8 Assertio III. Est quidem conuenienti ratione, numerus prædestinatorum hominum incomparabiliter minor, quam reproborum: sed absolute & in se plane ingens, & quasi innumerabilis. Ita Sanctus Thomas citato articulo septimo ad 3. & communis Doctorum, nullo excepto. Patet quoad priorem partem, ex Scriptura, Matthæi septimo, versu decimo tertio. *Intra te per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Matthæi vigesimo, versu decimo sexto. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quibus consentit illud Esdræ quarto, capite octauo, versu primo, ubi dicitur: *Hoc seculum fecit Aliysimus, propter multos; futurum autem propter paucos. Dicam autem vocati te similitudinem Esdræ. Quomodo autem interrogabi terram, & dicit tibi: quoniam dabit terram militiam magis, unde fiat ficile; paruum autem puluerem, unde aurum fit: sic & alius presentis seculi. Multi quidem vocati sunt, pauci autem saluabuntur.* Unde etiam electi quasi reliquijs frugum, aut botrorum ex messe aut vindemia relictis comparantur, Romanorum nono, versu vigesimo septimo. *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquia saluæ sunt.* Et capite undecimo, versu quinto. *Reliquia secundum electionem gratiæ saluæ facta sunt.* Quibus sensu allegorico consonat illud Isai. vigesimo quarto, versu decimo tertio. *Quomodo si pauca oliuæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racem, cum fuerit finita vindemia.* Et capite decimo septimo versu sexto. *Et relinquetur in eo, sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum aut trium oliuarum in summitate rami, sine quatuor, aut quinque in cacuminibus eius fructus eius.* Ad eundem sensum nonnulli intelligunt illud Psal. 16. v. 14. *A paucis de terra diuide eos.* Et Eccli. 7. v. 34. *De negligentia tua purga te cum paucis.*

9 Idem docent Sancti Patres: & patet ex distributione omnium hominum in suas classes: quarum prima, & longe maxima est, ac semper fuit gentilium, qui Deum verum non colunt; secunda Mahumetanorum & Iudæorum; tertia hereticorum; quarta Christianorum; è quibus tres priores vniuersum ac toto genere; quarta maiori ex parte reproba est, ut inferius dicitur. Ratio autem conuenientiæ, quare Deus voluerit minorem esse numerum prædestinatorum, quam reproborum hominum, cum tamen in omni sententiâ oppositum facere potuisset, est potissimum duplex. Vna, ut hac ratione beneficium & gratuita benignitas erga prædestinatos magis innotesceret. Altera, quia supposita naturæ corruptione per peccatum originale, id magis consentaneum erat communi rerum ordini; bonum enim quod ita excedit communem statum naturæ, ut ei supposita naturæ corruptione etiam repugnet, inuenitur in paucioribus, ob ingentem difficultatem, passiones, quibus ab incunabilis assueuimus, domandi: de qua

etiam Aristoteles 2. Ethic. cap. 3. ait: *Cunctis una cum hominibus, ab ipsis incunabulis voluptas est nutrita: qua propter arduum est, hunc affectum infirmum uitæ excludere.*

10 Priorem rationem assignat Augustinus libro de corrept. & grat. capite decimo, ubi ait: *Quod pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratia sunt agenda, quia fit; ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omnes obstruatur, & qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Et libro vigesimo primo de ciuit. Dei, capite duodecimo. *In severitate ultionis, inquit, multo plures sunt, quam in gratia redimentis, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iusto nemo reprehenderet. Quia vero tam multi exinde liberantur, est, unde agantur maxime gratia gratuito numeri liberantis.* Nec refert quod prædestinatio facta est ante præuisionem absolutam peccati: quia nihilominus saltem conditionata eius scientia in Deo præcessit, qua proinde, in statuendo prædestinatorum numero, Deus quodammodo dirigebatur: etsi minime interim necessarium sit dicere, plures ex hominibus futuros fuisse prædestinatos, si Adam non peccasset, quam modo sint. Accedit, quod absoluta reprobatio non est facta, nisi post præuisionem peccati, vt quæst. seq. patebit.

11 Vtramque rationem assignat Sanctus Thomas hic quæstione vigesima tertia, articulo septimo, ad 3. ubi cum obiectum fuisset, si à Deo institueretur & præfiniretur numerus saluatorum, futurum, vt plures essent saluandi, quam damnandi; respondet his verbis: [Dicendum, quod bonum proportionatum communi statui naturæ accidit vt in pluribus; & deficit ab hoc bono, vt in paucioribus. Sed bonum quod excedit communem statum naturæ, inuenitur, vt in paucioribus, & deficit ab hoc bono vt in pluribus. Sicut patet quod plures homines sunt, qui habent sufficientem scientiam ad regimen vitæ suæ; pauciores autem, qui hac scientia carent, qui moriones vel stulti dicuntur: sed paucissimi sunt respectu aliorum, qui attingunt ad profundam scientiam intelligibilem rerum. Cum igitur beatitudo æterna, in visione Dei consistens, excedat communem statum naturæ, & præcipue secundum quod est gratia destruita per corruptionem originalem peccati, pauciores sunt, qui saluantur. Et in hoc etiam maxime misericordia Dei apparet, quod aliquos in illam salutem erigit, à quo plurimi deficiunt, secundum communem cursum & inclinationem naturæ.]

12 Ne tamen ex priore illa ratione, prout à Sancto Thoma proposita est, consequens videatur, etiam inter Angelos minorem electorum numerum esse debuisse, supplenda est, modo superius explicato; vt intelligatur de excessu naturæ, cum quadam repugnantia. Ex opposito enim, quia peccatum cum natura Angelorum nullam habet conuenientiam; sed est prorsus contra naturalem eorum inclinationem; ea vero quæ ita contra naturam sunt, in paucioribus accidunt; idcirco minor pars Angelorum cecidit & reprobata est, vt declarauit ipsemet Sanctus Tho-

mas 1. p. quæstione sexagesima tertia, articulo nono ad 3.

13 Posteriores rationem bene etiam expendit Heruæus in 1. dist. 40. quæstione prima, articulo tertio, ubi cum sibi obieisset hoc argumentum: *Quilibet bonus prouisor, qualis est DEVS, debet intendere bonum, quantum potest, cum paucioribus malis, vel permittendo quantum potest, pauciora mala: sed in uniuerso potest esse bonum, iustitie punientis, cum paucioribus malis, quam sint illa quæ sunt: quia istud bonum potest esse per panam unius Angeli, vel unius hominis, &c.* Respondet his verbis: *Ad maiorem dicendum, quod bonus prouisor debet intendere bonum permittendo pauciora mala, &c. salua conditione, & supposito, quod tot bona eueniant, permittendo pauca, sicut permittendo plura.* Ad minorem dicendum, quod licet bonum iustitie quoad aliud quid potest esse per panam unius, & permittendo unum peccatum solum; tamen permittendo creaturas intellectuales & rationales conditioni nature suæ, natae erant, in quantum ex nihilo, & defectibiles, incidere in plures defectus. Sic autem permittere eas secundum suam conditionem fuit conueniens. Multa etiam bona secuta sunt, quæ non fuissent, si plura mala non fuissent permisa: scilicet multi modi iustitie punientis; & multa patientie Martyrum, & multa fructuosa predicationes Doctorum, & correptiones Prælatorum, & multa talia, &c. Ita Heruæus. Accedit, quod probabile est, absolute loquendo, computando nimirum simul Angelos cum hominibus, maiorem esse numerum prædestinatorum, quam reprobatorum, vt dicitur quæstione septima, dubio quinto.

14 Secunda pars assertionis patet ex Apocalypsis septimo versu nono, ubi post duodecim millia prædestinatorum ex singulis tribubus filiorum Israel recensita, subiungitur: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amici stolis albis, & palma in manibus eorum.* Item speciatim de Angelis patet, tum quod Apocal. duodecimo versu quarto indicatur, tertiam solummodo partem Angelorum cecidisse: Tum quod Daniel. septimo, versu decimo dicitur, *Millia millium ministrabant ei, & decies milles centena millia assistebant ei,* Et Apocal. nono, versu decimo sexto. *Et numerus equestris exercitus, vicies milles dena millia.* Vbi Græcè legitur myriades myriadum. Quod licet ad malos Angelos spectare videatur, nihilominus etiam hinc à potiori colligitur, quantus sit numerus bonorum: quando boni plures sunt, quam mali, vt dictum. Huc spectat illud CHRISTI, *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* nimirum tot ex pluribus. Huc spectat illud Baruch tertio, versu vigesimo quarto. *O Israel, quam magna est domus DEI, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus.*

15 Vnde etiam sumitur ratio conuenientie à posteriori. Sapientissimus n. rerum omnium Archi-

tectus Deus, qui tam ingens pro beatīs extruxit palatium, ingentem utique etiam decreuit esse incolarum & ciuium numerum. Ratio à priori sumitur, ex bonitate & Maiestate Dei. Quia enim ipse est infinita bonitas, eademque infinita sua bonitate tam homines, quam Angelos gratis prædestinavit, non utique in ea suæ bonitatis communicatione voluit esse parcus; sed quam maximè benignus. Quia etiam est infinita magnificentia Dominus, decuit numerum ciuium eius, & fidelium, non esse paruum, sed quodammodo imensum; uti reuera est, non solum si Angelos cum hominibus coniungamus; sed etiam si seorsim singulos computemus, ut ex dictis colligitur.

16 **Affertio IV.** Inter ipsos quoque fideles non solum omnes eos, qui fuerunt aut futuri sunt, ab initio veræ Ecclesiæ, vsque ad finem mundi, sed etiam inter Christi fideles, qui fuerunt ab initio Christianæ Ecclesiæ, & futuri sunt deinceps, plures sunt reprobi, quam electi. Ita ex recentioribus docet Caietanus in illud Matth. 25. *Quinque autem ex eis erant fatua, & quinque prudentes, ubi ait ex Christianis etiam illis, qui habent aliqualem curam suæ salutis, & apparent boni, medietatem perire; istumque esse legitimum sensum literalem illius parabolæ, tamen si Suarez cit. lib. 6. capit. 3. num. 5. sententiam hanc Caietani valde rigorosam appellet, Idem docet Carolus Regius in Oratore Christiano lib. 9. cap. 15. Probatur primo ex Scriptura. Illa enim, *intrate per angustam portam. &c. & Multi vocati, pauci vero electi. &c.* maximè de fidelibus & Christianis intelliguntur, uti etiam intelligunt glossa, & expositores communiter.*

17 **Secundò idem probatur ex Patribus.** Chrysostomus homil. 40. ad populum ait: *Quos putas esse in hac ciuitate, qui salui fiant? Non possunt inueniri in tot millibus centum, qui saluentur; quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus malitia? quantus in senibus tepor? Quod utinam non de singulis Christianorum ciuitatibus verè dici posset.* Augustinus 3. cont. Cresconiu Gramaticu, c. 66. *Electi, inquit, nunc multi dicuntur, nunc pauci; quia ydem ipsi boni verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum & falsorum itidem pauci sunt; sicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Idem habet epist. 48. ad Vincentium. *Omitto quod lib. 13. contra Faustum, capit. 16. circa illud Genes. 22. Sicut stella cæli, & sicut arena maris, sic erit semen tuum; per stellas cæli electos intelligit, & per arenam maris reprobos; significans ea proportione numerum reproborum excedere numerum electorum; qua arena maris excedit stellas cæli; quod ad sensum præcedentis assertiois intelligendum.* Denique Gregorius homil. 19. super Euangelia ait: *Ad fidem multi veniunt, sed ad caeleste regnum pauci perducuntur.* Quod etiam assertit in caput 6. Cant. explicans illud, *Et adolescentularum non est numerus; & in illud psal. 39. Multiplicati sunt super numerum.* Ratio conuenientia sumitur ex dictis assert. præced.

18 **Affertio V.** Qualis nam sit determinatè proportio numeri electorum hominum eum numero Angelorum, seu omnium, seu particularim bonorum, aut malorum; an maior, an minor, an æqualis; iuxta varias hæc de re sententias superius ex S. Thoma relatas, non constat: multò minus constat determinatè, quantus sit absolute numerus electorum, seu hominum, seu Angelorum. Ita S. Thomas hic q. 23. cit. a. 7. cui communiter omnes consentiunt: nisi quod Caietanus ibidem monet, non ideo tamen à S. Thoma tres opinionēs illas reprehendi; *tum quia in materia valde dubia, inquit, & per certitudinem occulta nobis, opinariue locuti sunt auctores. Tum quia auctores opinionum harum illustres, ac etiam sancti videntur fuisse.* Ita Caietanus. Ratio vero assertiois sumitur, tum ex citata Ecclesiæ collecta, *Deus cui soli cognitus est numerus electorum. &c.* Tum quia nec ex Scriptura, aut traditione vllum inuenire est principium, ex quo certa eiusmodi propositio, seu numerus certo & determinatè nobis innotescat. Illud solum notandum, à Dionysio Carthusiano in c. 14. S. Dionysij de cælesti hierarchia, referri ex reuelationibus B. Brigittæ; adeo plures esse Angelos beatos, quam homines, ut vniciuique decem possint in custodiam designari. Quod si non tantum de hominibus simul & eodem tempore viuentibus, sed omnibus absolute intelligatur, consequenter dicendum erit, aut ex hominibus non tantam ruinam Angelorum reparandam; aut certe locum Apocal. 12. vers. 4. de dracone trahente secum tertiam partem stellarum, non loqui de tertia parte Angelorum lapsa, ut bene etiam notarunt Molina 1. p. quæstio. 50. artic. 3. d. 2. & Vasquez. 1. p. tom. 2. disp. 180. cap. 1.

19 Ex quibus etiam facile satis fit illi quæstioni, cur inter homines Deus maiorem, seu absolute, seu comparatiue respectu reproborum, numerum electorum non designari. Designauit enim tantum, quantus conueniebat, iuxta regulas suæ sapientiæ: tamen interim quocumque numero etiã centuplo maiori posito, poterit utique; tanto altero maiore facere; idque in infinita Synecategorematice: ita ut nusquam sibi numerus posset, quin semper ulterius quæstioni locus esset, cur non maiorem constituerit numerum; nisi adductis eiusmodi rationibus sobria mens semel acquiescat.

D V B I V M III.

Vtrum Prædestinatio sit in nostra potestate; aut saltem cum libertate arbitij nostri consentiens.

Ad S. Thomas 1. p. q. 23. a. 6.

1 **PRædestinationem diuinam cum libertate arbitij nostri consentire, de fide est; quando passim ex Scripturis constat, nõ obstante diuina prædestinatione, liberam esse creatã voluntatè, etiam in rebus ad salutem pertinentibus, ut contra**

veteres

veteres & recentiores Sectarios generatim dictum disput. 2. quest. 8. dub. 11. & q. 10. dub. 8. & fusius disputat Bellarminus libro 3. de iustificat. præsertim cap. 14. & 15. Quare etiam illud inter omnes Catholicos doctrina siue explicatio, cum prædestinationis doctrina siue explicatio, cum libertate arbitrij nostri pugnet, eam falsam & erroneam esse. Quousque autem particulatim libertas arbitrij nostri simul cum prædestinatione defendenda sit; aut qua ratione prædestinatio hæc cum libertate arbitrij concilianda, varij varie explicant; iuxta variam, quam aut de ratione libertatis nostræ, aut de modo & ordine diuinæ prædestinationis habent, sententiam.

Primo enim sunt nonnulli, qui cum asserant, aliquos prædestinari à Deo per dilectionem absolutam & antecedentem, dixerunt, eos necessario saluari; & consequenter iustificari, & in iustitia permanere; salva interim in indiuiduo libertate operandi, saltem quoad exercitium. Pro qua sententia Suarez hic libro tertio de prædest. capite nono numero quinto, refert Ockamum, Gabrielem, & Catharinum; quos superius dubio tertio citauimus.

Deinde vero alij ne talem, vti putant, cogantur admittere necessitatem, negant talem prædestinationis modum; neque putant satis defendi posse libertatem humanam, nisi ea prædestinationis ratio defendatur, quæ liberam cooperationem nostram, eiusque scientiam, aut sequatur, aut saltem comitetur, iuxta ea quæ de hac re fuse diximus disp. 2. q. 10. dub. 8. & hic q. 5. dub. 5. vbi pro hac sententia præter Ioannem à Bononia relatum à Suarez loc. cit. citauimus etiam Molinam, Vasquez, & alios.

Similiter sunt aliqui, qui ad defendendam libertatem nostram, addunt, in nostra quoque potestate esse Dei prædestinationem; alij negant, vt dicemus. Nostra vero sententia in his assertionibus consistit.

Assertio I. Cum prædestinatione diuina, tuenda est non solum libertas actionum nostrarum in particulari, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem; sed vniuersim etiam salus, iustificatio, & perseuerantia nostra. Ita contra primam sententiam antea relatum, ex communi Suarez loc. cit. & Vasquez disp. 89. c. 10. Probatur. Tum quia ex Scriptura absolute docemur petere, vt adueniat nobis regnum Dei: ergo id aliquo modo pendet etiam ex nostra oratione, adeoque libertate. Tum quia Scriptura docet, etiam electos absolute perdere posse gratiam, adeoque damnari; iuxta illud 1. Cor. 9. v. 27. *Casting corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar; & Apoc. 3. v. 11. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* De qua re Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 13. *Quod autem, inquit; etiam per seueritatis sanctis sic ista dicantur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quibus expedit non alium sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuunt, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per sacane Angelum, ne extolleretur,*

Tom. I.

ranius colaphizetur Apostolus. Accedit quod nulla est ratio asserendæ eiusmodi necessitatis, vt mox dicetur.

Assertio II. Libertas supra dicta optime consistit cum prædestinatione diuina, etiam antecedenter & absolute præfinita, tum gratiam, ac gloriam; tum ipsas etiam omnes actiones salutes in indiuiduo, quibus electi gloriam consequuntur. Ita cum S. Thoma, & S. Augustino communis Theologorum sententia, omnium eorum, qui eiusmodi absolutam & antecedentem Dei prædestinationem defendunt, quos reuimus dub. 3. & 4. & hac disp. q. 1. dub. 5. Ratio sumitur ex dictis disp. 2. q. 10. dub. 8. Quia in hoc prædestinationis modo duo considerare possumus; primum est, extrinseca illa absoluta & antecedens præfinitio; alterum est executio eiusdem; quorum neutrum libertati quicquam præiudicat. Non extrinseca illa præfinitio; Tum quia illa hoc ipso quod extrinseca est, nostramque voluntatem in se minime afficit, nullo modo imurat, aut impedit conaturalem ei agendi modum; Tum quia alioquin etiam præfinitio illa gratuita & antecedens gratiæ congruæ, qua cum antea Deus infallibiliter præiudicet nos cooperaturos, eiusmodi libertati præiudicaret: quod tamen Vasquez, & alij authores oppositæ sententiæ recte negant; & sanè concedi nullo modo potest; vt ibidem fusius persecuti sumus.

Neque executio illius præfinitionis libertatem impedit; quia hæc solum consistit in largitione gratiæ congruæ, quæ non ex se, & sola vi & efficientia physica infallibiliter secum trahit consensum, & cooperationem ac perseuerantiam nostram, (cum ei absolute possumus repugnare) sed solum prout substat scientiæ Dei mediæ seu conditionatæ, qua Deus antea infallibiliter præiudicet nos cooperaturos: si ea concederetur. Quo fit, vt omnis quæ ex prædestinatione oritur necessitas, solum sit consequens, non antecedens; consequentiæ, non consequentis; hypothetica, non absoluta; in sensu composito, non diuiso; denique necessitas infallibilitatis, non physica; nec coactionis, seu naturæ. Sicut & vulgaris illa ratiocinatio: Si sum, aut non sum prædestinatus, quicquid agam, necessario saluabor, aut necessario damnabor, aperiunt in omni sententia falsa & impia censenda est, vt pluribus dictum dub. 5.

Assertio III. Quare vtraque hæc propositio nimirum. 1. Reprobis potest saluari. 2. Prædestinatus potest damnari, in rigore dialectico, & sine omni distinctione est vera. Ita post Bonauenturam Eckius cent. 4. num. 34. ex communi. Ratio est, quia cum in enunciationibus subiectum supponat pro materiali significato, vtraque propositio procedit in sensu diuiso; sicut ista, sedens potest stare, &c. Quamuis Scorus, & alij plures, has propositiones, Prædestinatus potest damnari; Reprobis potest saluari, distinguant; & in sensu composito eas negent, in diuiso concedant; de quo non est nobis disputandum.

Vt autem sensus compositus & diuisus hoc loco rectè intelligatur, aduertendum est, hanc propositionem, Prædestinatus potest damnari, triplicem posse reddere sensum. Primus est, vt

Rr 3

præde-

prædestinatus solum materialiter & secundum se accipiatur, abstrahendo, quod sit prædestinatus: quo modo reddet hunc sensum, Is qui prædestinatus est, si secundum se nudè spectetur, potest damnari. Secundo, ut is etiam se ipsa substans concipiatur prædestinationi; seu huic suppositioni vel conditioni; ita tamen ut hæc interim in vim prædicati nullo modo transeat; quo modo hic sensus erit, Prædestinatus etiam cum supponitur & concipitur à parte rei, prædestinatus, potest absolute damnari. Tertio sic intelligi potest, ut cõditio seu suppositio prædestinationis, ex parte prædicati se teneat, illudque afficiat, ita scilicet, ut fiat compositio ipsius prædestinationis, cum illius potestatis, quæ in propositione exprimitur, obiecto, quod est damnatio: quo modo hic sensus efficietur, Potest fieri, ut aliquis sit simul prædestinatus & damnandus, seu ut simul jungatur prædestinatio cū damnatione; seu quod idem est, hæc propositio, damnabitur prædestinatus, est possibilis. Prioribus duobus modis sit sensus diuisus, & vera est propositio; posteriori autem (quem sensum tamen per se & ex vi verborum propositio illa, Prædestinatus potest damnari, non reddit) sit sensus compositus, & est falsa; ut post Agidium in 1. d. 40. quæst. 1. articulo 2. rectè etiam declarauit Suarez libro tertio cap. 9. num. 10.

3. Cum quibus planè consentiunt ea, quæ de hac re tradit Magister in 1. d. 40. lit. B. cum ait: [Ea ratione dictum, & verum est, numerum electorum non posse augeri, vel minui; quia non potest verumque simul esse, scilicet, ut aliquis saluetur, & non sit prædestinatus; vel ut aliquis prædestinatus sit, & damnetur. Intelligentia enim conditionis implicitæ, veritatem facit in dicto, & impossibilitatem in vero. Si vero simpliciter intelligatur, impossibilitas non admittitur: ut cum dicitur, Prædestinatus potest, vel non potest damnari, & reprobis potest saluari. In his enim & huiusmodi locutionibus, ex ratione dicti diiudicanda est sententia dictionis. Alia namque sit intelligentia, si per coniunctionem hæc accipiuntur, dicta; atque alia si per disiunctionem, ut supra cum de præscientia agebatur, prætaxatum est. Si enim cum dicis, Prædestinatus non potest damnari, intelligas ita, id est, non potest esse, ut prædestinatus sit, & damnetur, verum dicis, quia coniunctim intelligis; falsum autem, si disiunctim; ut si intelligas istum non posse damnari, quem dico prædestinatum, potuit enim non esse prædestinatus.] Similia habet S. Thomas hic quæst. 23. artic. 3. ad 3.

9. Assertio IV. Neque, tamen ideo prædestinatio propriè est in nostra potestate: licet in nostra potestate (cum diuina gratia) sit aliquid, puta ipsa Iustificatio, & perseuerantia; quod si re ipsa in opus conferamus, certo sumus prædestinati. Hæc assertio ponitur propter controuersiam illam, quam inter Doctores superius esse diximus, an absolute possit dici, prædestinationem esse in nostra potestate. Quidam enim tum ob eam ipsam causam, quia in nostra potestate est Iustificatio & perseuerantia, qua supposita, certo su-

mus prædestinati; tum quia existimantes, dari aliquam causam seu conditionem in nobis totius prædestinationis, simul etiam dicunt vel admittunt, in nostra potestate esse facere, ut Deus præsciuerit, vel non præsciuerit id, quod est ex parte nostra ratio totius prædestinationis, absolute asserunt, in nostra potestate esse, prædestinationem seu prædestinari, ut loquitur etiam Vega lib. 12. in Concil. Trident. cap. 22.

10. Sed quanquam hæc nominis potius, quam rei quæstio sit, & cum addito non male dici possit, prædestinationem in nostra potestate à posteriori, non à priori; seu quod idem est, non secundum se, sed secundum effectum quendam eius præcipuum, & inseparabilem, ut dictum, ut resoluit Gregorius de Valentia quæst. 23. punct. 4. §. 8. absolute tamen loquendo, rectius loquitur illi, qui negant, Prædestinationem, seu prædestinari, in nostra potestate. Ita Gregorius de Valentia loco citato. Molina quæst. 14. artic. 13. disp. 16. & quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. Suarez lib. 3. de prædest. cap. 3. num. 6. Vasquez disp. 92. cap. 2. consentaneè S. Thomæ q. 6. de verit. a. 3. & hic quæst. 23. a. 6. ad 3. ubi rejicit hanc propositionem, Deum posse non prædestinare quem prædestinauit, ut dictum dub. 1.

Ratio est. Tum quia ad præteritum non datur potentia: est autem prædestinatio æterna in Deo; nec adeo potest fieri, ut in nostra potestate sit, prædestinatio, nisi faciendo, ut Deus ab æterno, adeoque ante secula prædestinauerit, aut non prædestinauerit: ob quam etiam causam alibi docuimus, non propriè dici, præscientiam Dei in nostra potestate esse. Tum quia quod factum est, infectum fieri nequit: Ergo supposito, quod quis sit prædestinatus, non potest facere, ut non sit prædestinatus, aut è contra. Tum quia primus effectus prædestinationis, qui est gratia congrua, spectata non solum qua congrua est, sed etiam secundum suam entitatem, ut q. 3. diximus, non est in nostra potestate: & falsum est, ex parte prædestinati dari causam seu rationem, aut conditionem mouentem totius prædestinationis, ut patet ex quæstione quarta.

11. Accedit, quod ita etiam loquitur Augustinus lib. de spirit. & lit. c. 34. ubi ait: *Accipere quippe & habere animam non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo; ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est; accipere autem & habere, utique accipientis & habentis est; ubi simul etiam negat, gratiam congruam in potestate nostra esse.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. parabola quadam rem hanc explicans: *Quis non videat, iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur exegerit; nec eum certè, qui quod ei debetur, donare voluerit? Hoc autem non est in corum, qui debitores sunt, sed in eius cui debetur arbitrio, &c.* Et libro de bono perseuer. cap. 8. *Non itaque in hominum, inquit, sed Dei potestate est, ut habeant homines potestatem filios Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes piæ.* Similia habet Ambrosius apud eundem libro de fuga seculi capite primo, ubi ait: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostra cogitationes: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.* Et

Hieronymus in illud Ierem. 10. [Scio Domine, quod non est in manu hominis via eius.] Quæ ad modum explicatum accipienda sunt.

Atque hinc sequitur, improprie loqui illos, qui dicunt. Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris. Quod tribui solet Augustino, sed apud illum reperiri negat Suarez loc. cit. Potius dicendum est, Si non ita vixisti, ut prædestinato conueniebat, viue ita in posterum & perseuera; & certo noris te prædestinatum.

DVBIVM IV.

An, & quæ ratione de nostra Prædestinatione certi esse possimus: & quænam sint diuina prædestinationis signa.

S Thom. 1. p. q. 23. a. 1. ad 3.

DE hac re breuiter sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Vti absque speciali reuelatione Dei nemo vndequaue certus esse potest de sua prædestinatione; ita nec citra prædictam reuelationem vlla dantur in homine signa infallibilia diuinæ prædestinationis, aut reprobationis; nec ex statu quidem præsentis iustitiæ, cuiusque carentiæ petita: cum pro aliquo tempore & prædestinatus gratia carere, & cadere; & reprobis gratiam habere possit. Hæc assertio est contra Sectarios, qui duplici errore hac in re tenentur. Primus est, quemlibet Christianum posse ac debere ea ipsa certitudine fidei, qua credit Christum hominem ac Deum esse, etiam credere se habiturum vitam æternam. Ita Caluinus lib. 3. Instit. cap. 2. § 16. Bucerus in Colloquio Ratisponensi, Kemnitius in Exam. Concil. Trid. sess. 6. c. 12. Secundus error est, ex ipso statu præsentis gratiæ, cuiusque carentiæ sumi posse certum & infallibile argumentum, a liquem esse prædestinatum aut reprobum: eo quod & prædestinatus aut vniuersum, ut putauit Wicleffus, damnatus in Concilio Constantiensi sess. 8. aut saltem ex quo semel iustificatus est, ut ait Caluinus lib. 3. Instit. cap. 2. § 11. & 12. necessario semper sit in gratia: è contrario reprobis in perpetuo odio Dei, ut dixit idem Wicleffus.

Qui errores repugnant fidei, & damnantur in Concilio Tridentino sess. 6. in pluribus capitibus & canonibus. Etenim cap. 12. ita definitur: [Nemo quamdiu in hac mortalitate viuatur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeo presumere debet, ut certo statuatur, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit; aut si peccauerit, certam sibi respicientiam promittere debeat: nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.] Et cap. 13. ita dicitur: [Similiter de perseuerantiæ munere. &c. nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine pollicetur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.] Quibus

respondet ibidem infra canon. 15. [Si quis dixerit, hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.] Et canon. 16. [Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.] Et canon. 17. [Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote diuina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.] Contra quos errores fufius disputant Vega lib. 11. in Concil. Trident. à cap. 1. & Bellarminus lib. 3. de iustificat. præsertim cap. 14. & 15.

Probatur assertio primum ex Scriptura. Eccles. 9. v. 1. *Nescit homo, virum amare, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Quod ad diuinam prædestinationem ac reprobationem, in primis referunt Sanctus Augustinus lib. de spir. & anima capit. 59. & Bernardus serm. de Septuagesima. Item Prouerb. 27. vers. 1. *Ne gloriaris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* Et Prouerb. 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Et Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide stas: noli alium sapere, sed time.* Et v. 22. *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Speciatim autem prædestinatum, quantumuis iustum, posse peccare mortaliter, & esse extra statum gratiæ, patet ex Scriptura exemplo Dauidis 2. Reg. capit. 12. qui peccatum adulterij & homicidij perpetravit; & de quo dicitur, *Domine quog, exansulit peccatum tuum.* Item exemplo Pauli, qui cum esset vas electionis, suum tamen de se ipso peccatum confiteatur. 1. Timoth. 1. v. 13. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.*

E contrario reprobos sæpe in statu gratiæ aliquanto tempore esse, patet primum exemplo Luciferi, de quo per allegoriam Ezech. 28. v. 12. dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti.* Et infra v. 16. *In multitudine negotiationum tuarum, repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & eieci te de monte Dei, & perdidisti te, O cherub, protegens de medio lapidum ignitorum.* De quo etiam Isai. 14. v. 12. dicitur: *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris? iuxta communiter receptam interpretationem Augustini lib. 3. de doctr. Christ. cap. 3. Idem patet exemplo Saulis, 1. Reg. 9. v. 2. vbi dicitur, *Et erat ei filium vocabulo saul electus & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo.* Et cap. 15. v. 17. de eodem dicitur: *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Et tamen Saulem fuisse reprobum, cum S. Augustino lib. 2. ad Simplicianum q. 1. communiter sentiunt Doctores, & colligitur ex illo 1. Paralip. 10. *Mortuus est saul propter iniquitates suas, eo quod præuicatus sit mandatum Domini.* & 1. Reg. 28. v. 16. ait Samuel ad Saulem: *Quid interrogas me; cum Dominus recesserit à te: quicquid nonnulli ex Hebræis in contrarium dixerint.**

5 Idem iuxta probabiliorem & communiorem sententiam, suadetur exemplo Salomonis, quem reprobum fuisse, satis colligitur ex 3. Reg. 11. Eccli. 47. à v. 23. & docent Cyprianus lib. 1. epist. 5. Augustinus lib. 22. cont. Faust. capit. 88. & in comment. super psalm. 126. & lib. 17. de ciuitat. cap. 20. & glossa in 2. Reg. 17. & 4. Reg. 23. licet Hieronymus in cap. 1. Ecclæ. & in capit. 43. Ezechielis, item Genebrardus lib. 1. suæ Cosmograph. & alij nonnulli Catholici Doctores, non omnino improbabiler contrarium sentiant. Idè patet exemplo Iudæ, quem in gratia fuisse satis colligitur ex eius uocatione & electione ad Apostolatam; & tamen reprobum fuisse constat ex psalm. 108. & Matth. 27.

Secundo eadem assertio probatur communi sensu SS. Patrum, præsertim S. Augustini l. de bono perseuer. cap. 3. 13. & 22. & lib. de corrept. & grat. capit. 13. ubi ait: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate uiuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cauenda est elatio, ut etiam per Satana Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizetur Apostolus.* Et Prosper in libro resp. ad articulos falso Augustino impositos, art. 12. *Prædestinatio, inquit, apud nos, dum in præsentis uitæ periculo versamur, incerta est, apud illum tamen, qui facit quæ futura sunt, incommutabilis permanet.*

6 Item Hieronymus in illud Ecclæ. 9. *Nemo scit, utrum odio &c. Hic, inquit, est sensus. Inueni iustorum opera in manu Dei esse. Et tamen utrum amentur à DEO, annon, nunc eos scire non posse; & in ambiguo fluctuare, utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, &c.*

Itè Gregorius ho. 38. in Euang. nõ pestime, ut impudenter scripsit Caluinus lib. 3. Inst. c. 24. §. 8. sed optimè tradit, uocationis tantum nostræ cõscios nos esse, & electionis incertos: Nam etiam si, inqt, *quales hoc die simus sciamus, quales tamen simus futuri, nescimus.*

Denique Bernardus serm. 1. in Septuagesima: *Generationem istam, inquit, quis enarrabit? Quis potest dicere, ego de electis sum; ego de prædestinatis ad uitam, ego de numero filiorum? reclamante Scriptura, Nescit homo, an amore, &c.*

7 Tertio idem probatur ratione. Tum quia prædestinatio & reprobatio spectat ad occulta DEI consilia, soli Deo cognita; quis enim consiliarius eius fuit? Rom. 11. v. 34. *Tum quia nemo infallibiliter scit, se esse in gratia, ut suo loco docetur; multo minus, se esse perseueraturum in gratia; nusquam enim est hoc reuelatum. Sed & qui in peccatis maximis uiuunt, sæpe à Deo illuminantur, & ad bonam frugem se conferunt, & ita saluantur, ut constat de Paulo, de latrone in cruce, de Maria Magdalena, & similibus: ita ut in quibus abundauit delictum, abundet & gratia. Tum quia, nulla fidei certitudo est, cui potest subesse falsum; at verò huic persuasioni Sectariorum subesse posse falsam, patet ipsorummet exemplo & experientia: cum inter ipsosmet etiam, quantumuis ea persuasionem imbutos, aliqui abiecta ea persuasionem nonnunquam vel ad Catholicam fidem, conuertantur, vel ad manifestam impietatem, deficiant.*

8 Obijciunt primo illud 1. Ioan. 5. *Hæc scribo uobis, ut sciatis, quia uitam habetis, qui creditis in nomine filij Dei.* Et Rom. 8. omnium prædestinatorum nomine loquens Apostolus ait, *Quis nos separabit à charitate Christi? &c. Certus sum enim, quod neq. mors, nec uita &c. poterunt nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESU.*

Respondetur, primum locum intelligi uniuersim de ijs, qui uia fide credunt in nomine filij Dei, si tamen in hac fide perseuerauerint usque ad finem, ut bene explicat S. Thomas in eundem locum. Sed cum hac sciëntia & certitudine uniuersali & conditionata consistit ignorantia, & incertitudo particularis, an hic vel ille habeat, aut habiturus sit talem fidem uiuam, cum perseuerantia coniunctam.

Ad secundum locum respondetur primo, eum intelligi posse de certitudine quadam morali, siue secundum præsentem animi dispositionem: sicut enim certitudine quadam morali quidam eximie Sancti de sua gratia certi esse possunt, ita etiam similem quadam certitudinem, non tamen sine omni formidine, eos habere posse de sua prædestinatione, concedunt uiri docti, & indicat Sanctus Bernardus sermone 2. in octaua Pasche.

9 Respondetur secundo cum Sancto Augustino lib. de grat. & lib. arbit. Apostolum loqui de se ipso, & alijs habentibus specialem reuelationem suæ prædestinationis & salutis: ut habuerunt Sancti complures; inter alios Abraham, cui dictum est Genes. 15. vers. 1. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis; fortassis & Isaac, cui ait Deus Genes. 26. vers. 2. Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, erogaue tecum, & benedicam tibi.* Apertius Iacob, Genes. 28. xers. 14. *qui à Deo audiuit, Benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ: Et ero custos tuus, quocumque perrexeris. Nec minus perspicue Moyses, Exodi 33. vers. 12. & 17. Inuenisti gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine, &c. Ego ostendam tibi omne bonum.* Item Elias 4. Reg. 2. v. 9. cum ad Elisæum ait: *Postula quod uis, ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Et insigniter Hieremias cap. 1. v. 4. cui dictum est à Deo. *Priusquam te formarem in utero, noui te, & antequam exires de uulua, sanctificauit te, & prophetam in gentibus dedi te.* Nec dubie beata Virgo; quæ & gratia plena ab Angelo salutata; & ab Elizabetha benedicta inter mulieres, & beata, quæ credidisti: & de se ipsa canit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Item etiam Ioannes Baptista, qui sciebat se à Deo per Isaiam cap. 40. vers. 3. *Vocem Dei;* per Malachiam capit. 3. vers. 1. *Angelum Dei;* à Christo uero talè, quo non surrexerit maior inter natos mulierum, fuisse de prædicatum, Matth. 11. v. 11. Tales etiam fuerunt Apostoli, quibus (post egressum Iudæ) ait Christus Luc. 22. v. 28. *Uos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis, sicut disposui mihi pater meus regnum, &c.* Tales forte etiã fuerunt ex discipulis illi, quibus Christus Luc. 10. v. 20. dixit, *Gaudete autem, quod nomina uestra scripta sunt in caelis.*

10 Talis etiam in primis fuit Apostolus Paulus, qui præter ea, quæ obiecta sunt, de se ipso ait: *Bonum certamen*

certamen certavi, cur sum consummasi, fidem seruavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. 2. Timoth. 4. vers. 8. Qui id ipsum etiam de alijs quibusdam ex reuelatione compertum habuisse videtur, quando de Clemente, & alijs coadiutoribus suis ait, quorum nomina sunt in libro vite, Philipp. 4. v. 3. Quamuis subinde quasi de sua salute incertus loquatur, non quod reuera incertus esset; sed quod nisi studio virtutum eo aspirare se non posse sciret. Quò spectant illa; sequor autem, si quo modo comprehendam. Philipp. 3. v. 12. Et, *Veni mihi est, si non euangelizauero.* 1. Corinth. 9. v. 16. Et rursum ibidem, vers. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar.* De qua re bene disserit Vega lib. 12. in Concil. Triid. cap. 10.

Non tamen conueniebat, vt sua cuiusque prædestinatio singulis reuelaretur; quia sic illi, qui non sunt prædestinati, desperarent; & securitas in prædestinati negligentiã pareret, vt sapienter notauit S. Thomas hic quæst. 23. artic. 1. ad 4. Voluit ergo nos DEVS inter spem & metum verari.

Obijcitur secundo illud Rom. 8. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filij DEI sumus; si autem filij, & heredes.*

IX Respondetur, hoc testimonium spectare ad omnes iustos adultos: quibus etsi spiritus per internum solatium & illustrationem mentis subinde testimonium reddat, quod sint filij Dei; ac proinde secundum præsentem saltem iustitiã heredes regni, non tamen præstat ea res infallibilem certitudinem, non quod testimonium Spiritus sancti incertum sit; sed quod ipsi infallibiliter non sciunt, testimonium seu inspirationem illam à spiritu sancto esse; cum & Satanas transformare se soleat in Angelum lucis: quare etiam probare iubemur Spiritus, si ex Deo sint. Bene tamen probat ille locus, iustos sæpe habere coniecturalem quandã, nonnunquam etiam quasi moralem quandã certitudinem de sua salute, cui tamen possit subesse falsum, vt dictum, & suo loco de gratia fufius docui tomo 2. disp. 6. q. 4. dub. 5.

IX Assertio II. Varia sunt diuina prædestinationis signa, partim externa, partim interna; & ex utrisque rursum alia remota; alia propinqua; ex his rursum alia specialia, alia specialissima: quæ tamen siue adsint, siue absint, vt per se nullum mortalium infallibiliter certum de sua salute reddunt, ita nec vlli omnem salutis spem adimunt: præsertim cum magna ex parte in hominis potestate sita sint. De signis prædestinationis particulatim prolixè & eruditè disserunt Vega lib. 12. in Concil. Trident. à cap. 1. Michael Medina de recta in Deum fide, cap. 3. Sotus de natura & grat. lib. 3. cap. 11. 12. & 13. Mihi ad propositum satis est, iuxta positam assertionem, variam enumerationem breuiter exponere. Cum enim signum prædestinationis idem sit generatim, quod indicium prædestinationis, facillè constare potest; magnam inter ea esse varietatem, prout ea felicet maiorem vel minorem cum æterna hominis salute coniunctionem & affinitatem habent; aut pro-

ut vel in ipso homine prædestinato, vel extra illum cernuntur, vt diximus.

Primò enim quædam esse externa, quædam interna, ex eo patet. Siquidem ad externa signa pertinere potest externa testificatio non solum diuina, sed etiam testimonium, siue opinio viro- rum grauium & sapientum de alicuius salute; itè educatio vel natiuitas in tali loco, à talibus parentibus, cum talibus miraculis, vt de S. Ioanne Baptista, S. Nicolao, S. Dominico, utroque S. Francisco, Assisienti, & de Paula, alijsq; Sanctis sæpe accidit. Interna sunt internæ virtutes, & vita, vt dicitur.

Secundò alia esse signa remota, alia propinqua, ex eo patet: quia alia non nisi remotam & generalem quandam affinitatem cum prædestinatione habent; alia propinquam. Inde quia v. g. magno ad pietatem & sanctitatem præsidio est, à pijs & fidelibus parentibus esse natum & educatum, idcirco etiam hoc signum aliquod prædestinationis censerè potest, non quidem particulare & propinquum, quia sæpe filij heroum noxæ; sicut è contrario filij peccatorum sancti; sed generale & remotum. Et similia plura facillè occurrent cogitanti. Propinqua sunt varia, vt dicemus.

Etenim tertio ex propinquis alia esse specialia, alia specialissima, ita declaratur. Nam de specialibus potissimum loquuntur authores illi, qui signa prædestinationis recensent, qualia Vega non sine ratione censet esse, omnes & singulas beatitudines octo à Christo commemoratas, Matth. 5. & partim etiam Luc. 4. Cum enim præstantissimos virtutum actus, & quidem durabili quadam constantia exercitos complectantur; puta Euangelicam paupertatem, siue vt Vega putat, humilitatem Christianam, ita mansuetudinem, piã lacrymas & tristitiam, esuriem & sitim Verbi diuini ac Iustitiã, misericordiam in proximos, munditiã cordis, studium pacis, denique patientiam in tribulationibus & persecutionibus pro Christi nomine perferendis; quæ singula etiam in Scripturis peculiarem habent æternæ retributionis promissionem, optima sane ratione singulæ inter specialia diuinæ prædestinationis signa recensentur. Quibus à fortiori accenseri debet professio Religionis approbatæ, in qua viget regularis obseruatia; non solum quòd in ea omnes quasi illi virtutum actus confertim & cumulatè cernantur, sed etiam quia paupertas illa voluntaria, quæ in ipsis penè solis cernitur, amplissimam habet Christi promissionem, Matth. 19. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* vt pluribus disserit Hieronymus Platus lib. 1. de bono status relig. cap. 32. Talia etiam specialia prædestinationis signa censeri possunt bona vita diu constantè acta; de qua re Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 22. & in psal. 118. vers. *In quo corrigi, &c.* & Bernardus serm. 22. in Cant. item interna testificatio spiritus ac testimonium bonæ conscientiæ, cum voluntate progrediendi, de qua re Apostolus 2. Corinth. 1. v. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et loc. cit. Rom. 8.

v. 16. Ipse spiritus testimonium reddit, quod sumus filij Dei. Item libenter, & cum interno quodam gustu audire seu legere Verbum Dei, iuxta illud Ioann. 8. v. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ioann. 10. vers. 27. Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me; de qua re Gregorius homil. 18. in Euang.

14

Specialissima autem signa sunt, magna & diuturna cum Deo familiaritas in oratione, alijsque rebus agendis; mortificatio quasi perfecta passionum; insignis huius vitæ ac mundi sui que contemptus ac despicientia; flagrans & firmatus erga Deum amor; desiderium ardens multa pro Christi nomine perpetuendi; quibus adnumerari etiam subinde possunt miracula, donum prophetiæ, aliaque gratiæ gratis data; si cum pietate vitæ coniungantur, qualia indicia in S. Augustino, S. Francisco, S. Dominico, S. Ignatio, alijsque Sanctis eximie eluxerunt, &c. qui de se dicere poterant Apostolicum illud; *Viuo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus.* Itē, *Mihi vivere Christus, & mori lucrum.* Item Dauidicum illud; *Quid mihi est in celo, & a se quid volui super terram, &c.*

Quod verò hæc signa, siue adsint, siue absint,

nulli mortalium salutis spem & facultatem adimant, ex eo patet, non solum quia nemo ferè est, saltem ex Christianis, qui non vnum aut alterum, eiusmodi prædestinationis signum habeat, saltem remotum; sed etiam quia esse sit peccator maximus, & re ipsa nunc omni prædestinationis signo destitutus, facile tamen est Deo subito honestare pauperem, vt de latrone, & Paulo diximus. Idem constat de gentilibus in medijs Indijs constitutis, qui subito nonnunquam, & admirandis modis ad salutem perducuntur. Et cum bona vita, & conscientia, aliisque virtutes, & perfectio Christiana, in hominis potestate, cum diuina gratia, quæ nulli denegatur, sita fiat, facile constat, posse ac debere insuper omnes eò conitti, vt potissima prædestinationis signa in se vel maxime emiteant; quod ad solatium & salutis studium satis omnibus esse debet. Infallibilia enim signa nemo expectare debet, nec querere; cum extra specialem Dei reuelationem (qualis vix sine temeritate postulari à quoquam potest) sint nulla, vt antea dictum. Atque hæc de diuina Prædestinatione satis, nunc de Reprobatione agendum.

QVÆSTIO VII.

De Reprobatione diuina.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 3. & 5.



Absoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. An, quid, & quotuplex sit reprobatio; & quo modo ad prædestinationem se habeat. II. Quinam sint effectus reprobationis. III. An & quæ sint causæ totius reprobationis; præsertim ex parte reprobis. IV. Quo ordine ac processu in mente diuina fiat reprobatio; siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus. V. An & quomodo reprobatio sit certa; & simul cum libertate arbitrij consentiens. Quæ omnia suppositis ijs, quæ de prædestinatione hæcenus differimus, breuiter expediri possunt.

DVBIVM I.

An, quid, & quotuplex sit Reprobatio: & quo modo ad Prædestinationem se habeat.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 3.

Reprobi, quasi reprobati & reiecti à Theologis dicuntur omnes homines, vel Angeli, qui gehennæ addicuntur, aut beatitudinem non consequuntur, iuxta Apostolum 1. Corinth. 9. v. 27. & 2. Corinth. 13. v. 5. 6. & 7. Heb. 6. ver. 8. tamen si alioquin in Scriptura Eccli. 9. v. 11. Rom. 1. v. 28. 2. Timoth. 3. v. 8. Tit. 1. v. 16. hoc nomen communiter omnibus improbis tribuatur. Vocantur ijdem etiam *vasa in contumeliam*, Rom. 9. vers. 21. 2. Timoth. 2. v. 20. item, *vasa iræ* Rom. 9. v. 22. Vocantur quoque à Theologis absolute *præfuiti*, communi generis nomine, ob imperfectionem, eis idcirco quasi appropriato, quod præsentia tan-

tum diuina in eos, non etiam, vt in electos, peculiaris illa approbatio, seu amor voluntatis diuina feratur.

Differt non nihil secundum modum appellandi reprobatio à prædestinatione, quod hæc proprie & formaliter non est nisi actiua in ipso prædestinante; à qua per solam denominationem extrinsecam aliquis dicitur prædestinatus; reprobatio autem, quia generatim non solum actum in mente reprobantis, sed etiam actionem transeuntem ac passionem in reprobante significat; dicitur enim & lapis ab ædificante reprobati, non solum dum mente velut inutilis ad ædificium designatur,

sed